Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Proprie autem lex appellatur que per moysen data est.
Secundus ordo est prophetarum. in quo continentur libri octo
quorum primus iosue benun. qui latine ihesus na-
ue dicitur. Secundus sophtim. quod est iudicum. Tertius sa-
muel. quod est regum primus. Quartus malachim quod est
regum secundus. Quintus esaias. Sextus hieremias. Sep-
timus ezechiel. Octauus taresra. qui duodecim
prophetarum. Qui libri quia sibi pro breuitate adiunc-
ti sunt pro uno accipiuntur. Tertius ordo agiogra-
phorum id est sancta scribentium. in quo sunt libri viiii. quo-
rum primus iob. secundus psalterium quod in v. incisionibus
diuiditur. Tertius masloth quod est prouerbia salomo-
nis. Quartus coeleth quod est ecclesiastes. Quintus sirasirim
quod est cantica canticorum. Sextus daniel. Septi-
mus dabreiamin. quod est uerba dierum. hoc est pa-
ralipomenon. quasi cronicon. Octauus hes-
dras. qui in duos libros diuiditur apud grecos
et latinos. Nonus hester. Qui simul omnes
quinque. octo. et nouem fiunt xx. et duo. sicut supra
comprehensi sunt. Quidam autem ruth. et cinoth. quod la-
tine dicitur lamentacio hieremie. agiographis
adiciunt. et xxiiii. uolumina testamenti
ueteris faciunt. iuxta xxiiii. seniores qui
ante conspectum dei assistunt. Quartus est apud
nos ordo ueteris testamenti eorum librorum qui
in canone hebraico non sunt. quorum primus sapi-
entie liber est. Secundus ecclesiasticus. Tertius tobie.
Quartus iudith. Quintus et sextus machabeorum. quos
licet iudei inter apocripha separent. ecclesia
tamen christi inter diuinos libros et honorat et predi-
cat. In nouo autem testamento duo sunt ordines.
Primus euangelicus. in quo sunt matheus. marcus.
lucas. et iohannes. Secundus apostolicus. in quo sunt paulus
in quattuordecim epistolis. petrus in duabus. iohannes in tribus.
iacobus et iudas in singulis. actus apostolorum. et a-
pokalipsin iohannis. Summa autem utriusque testa-
menti trifarie distinguitur. id est in historia
in moribus. in allegoria. Rursus ista tria
multifarie diuiduntur. id est quid a deo. quid ab an-
gelis uel ab hominibus gestum dictumque sit. quid
a prophetis pronuntiatum de christo et corpore eius. quid
de diabolo et membris ipsius. quid de ueteri et
nouo populo. quid de presenti seculo et futuro reg-
no atque iudicio. **De scriptoribus et uocabulis sanctorum librorum. II.**

Veteris testamenti secundum hebreorum tradicionem hii perhibentur
auctores. Primus moyses diuine histo-
rie cosmografiam in v. uoluminibus
edidit. quod pentateucum nominatur. Pentateu-
cus a quinque uoluminibus dicitur. penta enim grece v.
teucus uolumen uocatur. Genesis liber in-
de appellatur eo quod exordium mundi et genera-
cio seculi in eo contineatur. Exodus uero exitum ab
egypto uel egressum populi israel digerit. et ex ea
causa nomen accepit. Leuiticus appellatur
eo quod leuitarum ministeria et diuersitatem
uictimarum exequitur. totusque in eo ordo leui-
ticus adnotatur. Numerorum liber uocatur eo
quod in eo egresse de egipto tribus dinume-
rantur. et xl. duarum per heremum mansionum
in eo descriptio continetur. Deutronomium
greco sermone appellatur quod latine interpretatur
secunda lex. repeticio et euangelice legis prefigu-
racio. que sic ea habet que priora sunt. ut tamen
noua sint omnia que in eo replicantur. Iosue
liber nomen accepit a ihesu filio naue. cuius
hystoriam continet. Scriptorem uero eundem io-
sue hebrei asserunt. in cuius textu post iorda-
nis transitum regna hostium subuertuntur. terra
populo diuiditur. et per singulas urbes. uicos.
montes atque confinia ecclesie celestis hierusalem
spiritalia regna prefigurantur. Iudicum nominatur
a principibus populi qui prefuerunt in israel post moy-
sen et iosue. ante quam dauid et ceteri reges
existerent. hunc librum ruth edidisse cre-
ditur. samuel. Liber eiusdem samuelis nati- samuel
uitatem et sacerdotium et gesta describit.
Et ideo ab eo nomen accepit. Et quamuis